


AD

SOLLEMNIA

IN

ILLVSTRI RVTHENEO

SVB PRINCIPIO ANNI MDCCCXXVIII.

D. II. IANVAR.

PIE CONCELEBRANDA

OBSERVANTISSIME INVITAT

M. CHRISTIANVS GOTTLOB HERZOG

PROF. ELOQ.

INEST

OBSERVATIONVM IN NONNVLLOS VETERVM SCRIPTORVM LOCOS

PARTICVLA I.

GERAE

1828

Quam multi ante nos viam ingressi sunt scholarum magistri, ut quaecunque memoratu vel scitu digniora domestica quasi et umbratili agitassent exercitatione, ea iusta occasione data, in medium producerent, atque subtiliori virorum doctorum examini subiicerent, eamdem mihi quoque publice iam verba facturo, ex pluribus eligere liceat. Nimirum, de quo inter omnes iam dudum convenit, ut idoneam sibi quisque et commodam scribendi sumat materiem, id nunc quidem omissum faciamus, ne in rebus tritis atque indubitatis multi simus. At vero, quaenam sit idonea et commoda disputandi vel disserendi materies, quaeri quum possit, quumque ipsae vocabulorum notiones ambiguae videantur atque pro cuiusque arbitrio vel relaxentur vel restringantur, quis est qui neget, ea de re optime disputari, quae quum ad auctorem, tum ad omnes, quibuscum studiorum nobis sit aliqua communio, aeque fere pertineat. Quod quum contendimus, rem ipsam, de qua agatur, nos bene callere atque ex plurimis, etiamsi non ab omnibus perspectam et cognitam habere partibus, pro certo ponimus, in eaque ut aliquantum operae a nobis collocatum sit, haud iniuste requiri. Neque tamen, quantumvis multum ac diu elaboraverimus in aliqua arte vel disciplina, singulari quodam amore ducti, quae nobis mirum in modum arriserint, quaeque tanquam nova et inaudita reperisse opinemur, eadem aliis quoque hominibus comprobatum iri, nobismet ipsis persuadere decet. Variae enim sunt vel vulgarium vel doctorum hominum de eadem re sententiae,[1]) neque quod per se quisque vel cogitasse, vel invenisse, vel perspexisse crediderit, idem ab altero dictum vel scriptum patienter ferre paratus est et ingenio suo conformatus. Quid iuvat, ita

1) Cfr. Plinii Epist. I, 20, 12.

passim nonnullos, difficiliores fere ac morosiores, exaudies increpantes in istos, quos significavimus, libellorum auctores, centies repetita et ab immenso hominum criticorum grege in censum vocata denuo deliberare ac disceptare, praesertim quum quid verum sit, ne a novissimo quidem scriptore erui soleat? Verum, quum quod idem faciant duo, non sit idem, et uti eumdem agrum, quem diversi exercuerint cultores, diversos quoque fructus proferre experientia docemur, non supervacaneam suscepisse operam putavimus, dum quae multos per annos animo ac mente volutavimus, et qui studiis nostris privatis propositus fuerit finis, vel qualescunque in secessu nos recreaverint operae impensae proventus, ea qua decet verecundia et modestia in medium veluti agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem educere visum est.[2]) Habet enim nostra quoque aetas forum suum, suamque quam Ciceroni appellare libuit *militiam respondendi, scribendi, cavendi;*[3]) cui modo ne desit urbanitas videndum est. Neque etiam veremur, id quod saepe in hominibus factum esse legimus, qui dum aliorum arbitros esse gestirent, sibimet ipsis mirum quantum indulgerent, ne ab uno alterove reprehendamur, quod hancce datam opportunitatem ad ea potissimum studia recolenda nobis sumserimus, quorum nuper aliquam rationem palam reddere conati sumus. Nempe in animo est, quod vel libelli nostri inscriptio praedixit futurum, in locos nonnullos accuratius et diligentius inquirere, qui in Caesaris de Bello Gallico Commentariis vel librariorum negligentia et inscitia, vel codicum et librorum editorum inconstantia impeditiores reperiuntur; atque in hoc negotio ita quidem versabimur, ut quam proximis hisce annis doctissimi et de Caesare optime promeriti Triumviri, Heldius, Daehnius et Kreyssigius egerint tum totius orationis, qualem scriptor ille eximius exhibuit, tum singularum vocum, quae leguntur, censuram retractemus, neque vero perstringamus. Abhorret enim animus ab ista, cuius identidem incusantur, neque immerito, nostrae aetatis homines,

---

2) Cfr. Cic. de Orat. I, 34, 157. Summus enim orator ibi porro praecipit: Subeundus usus omnium, et periclitandae vires ingenii; et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est.

3) Orat. pro Murena c. 9. in.

in disceptando contentione atque ambitione, quae ne in iracundiam vel odium abeat, a multis non satis cautum scimus; id potius efficere volumus, ut quae in summis viris recte laudatur et praedicatur humanitas, eam et quam in praesenti agimus persona repraesentet. Atque id eo studiosius et enixius adsequi conabor, quanto arctiore familiaritatis et studiorum coniunctione cum uno alterove illorum, quos supra commemoravi, Triumvirorum me obstrictum sentiam. Exstant enim tam multa tamque insignia sincerae, qua me ornavit Daehnius meus amicitiae, atque egregiae eius in me voluntatis testimonia, ut ea nunc palam profiteri neque ab loco, neque a tempore alienum censuerim. Nam quid dulcius, quidve amabilius vel audiri vel legi vel spectari potest, quam hominum locorum atque annorum spatio disiunctorum intima quaedam ex communibus literarum studiis coniunctio? Atque hac ipsa animorum ac sensuum, quem vocare liceat concentus professione et testificatione, quoties nobis in epistolis Ciceronis obvia facta fuerit, nos vehementer delectatos esse, neque minus puerorum mentes suaviter adfectas, lubenter confitemur. Accessit vero etiam alia caussa, neque ea levior, qua ad hocce potissimum munus subeundum commoverer; scilicet sperabam fore, ut mihi similem laborem perpesso atque perfuncto concederent, qui post me venissent, ut non tam artificis, cuius est novi aliquid effingere, quam iudicis, qui litem componat, officium praestem, et quem tolerabilem quondam habuerint commilitonem, eum iam levis cuiusdam expeditionis ducem paterentur. Ceterum, utrum mihi gratuler an timeam, quod tale periculum subierim, utpote qui novos tumultus excitare videar, quum pacatus esse queam: ea de re penes illos ipsos iudicium sit, quos non tam impugnando lacessere, quam ut vel mecum in gratia maneant, vel si quando dissenserint, in eam redeant, tentare voluerim.

Verum quum tanta sit et tam locuples rerum et locorum copia, in quibus recte constituendis ingenii acumen, si quid est, atque sagacitatem exhibere queas, quantam vix, etiamsi omnem vitae aetatem eo impenderis, consumas, hanc nobis veniam petimus, ut primo hoc qualicunque tentamine libri potissimum IV. Commentariorum aliquot locos castigare et in iustum, quem iudicaverimus, ordinem restituere liceat. Sequentur posthac, alia occasione oblata, vel grato quod optamus otio dato, reliquorum librorum, quos carptim pertra-

ctare lubuit, loci nonnulli graviores; quam quidem caussam ita agere in animo est, ut simul Grammaticorum praecepta perpendamus, nostramque rationem singularem ad universae disciplinae leges accommodemus.

Itaque statim exordium capiamus a libri IV. principio, ubi in descriptione gentis Suevorum verba leguntur: quotannis singula milia armatorum *bellandi caussa ex finibus educunt.* Fuerunt, atque in primis Oudendorpius, cui adsentitur Daehnius, qui vocem *caussa* redundare censerent, ideoque delendam: esse enim hoc ex more satis usitato tum Graecorum, tum Romanorum, ut pone Gerundium vel Gerundivum, quando consilium, quo quid fiat, significetur, vocabula *ἕνεκα*, vel *gratia* et *caussa*, omittantur; quod maxime historiarum scriptoribus sollemne esse, adnotavit Oudendorpius. Verum, ut ita res habeat, id quod nemo dubitaverit, de eo tamen parum sibi constare videntur homines critici, utrum illud dicendi genus ubivis locorum adhibendum sit vel admittendum, an angustioribus limitibus circumscribendum. At nos quidem observasse videmur, istam quam dicunt *ellipsin* omnino non valere, neque ullibi locum habere; ipsius potius Genitivi casus propriam indolem atque naturam unum esse fontem, ex quo omnia ista quae enumerantur exempla manaverint; atque adeo alios esse locos, ubi *caussa* secundum rationis ac Logices regulas desit, alios, in quibus ponatur necesse est. Ad quod quidem discrimen definiendum plurimum facient exempla; quae ut primo statim obtutu comprehendantur, in duas libet distribuere classes, unam Genitivi absolute s. simpliciter positi, alteram eiusdem casus, a voce *caussa* vel *gratia*, vel cognatae notionis vocabulo pendentis. Ita leguntur apud Ciceronem de N. D. I, 22. in. verba: *deliberandi* sibi *unum diem* postulavit. Congessit ad hunc locum pro consuetudine Davisius nonnulla similis fere verborum structurae exempla, apud Gellium obvia, velut Noct. Attic. X, 18, 4. Molita est — *conservandae* mariti *memoriae sepulcrum.* Item XIX, 9, 1. *coenam* dabat amicis *celebrandae lucis annuae.* Quibus comparari potest illud Terentianum Adelph. II, 4, 6. ne *id adsentandi* magis, quam quod habeam gratum, facere existimes. atque Taciti locus, cui omnino hic dicendi usus valde frequentatus est, Annal. III, 41. Spectatus est Sacrovir — *pugnam* pro Romanis ciens, *ostentandae*, ut ferebat, *vir-*

tutis. Verum notandum est, quod hos inter aliosque intercedat locos discrimen; neque enim, quamquam primo adspectu inter se pares videantur, vere sunt. Sit totius structurae quasi archetypus locus Ciceronianus, supra laudatus: *deliberandi unum diem* etc.[4]) Vides, gignendi casus quomodo arctissime cohaereat cum *die* isto *uno*, quem sibi petiit Simonides ad deliberandum; neque vero idem prorsus erit, si dixeris: *diem* sibi sumere *ad deliberandum*,[5]) ac si *diem deliberandi* appellaveris. Illud enim consilium indicat posthac exsequendum, terminum velut remotiorem, longinquiorem; hoc singulare quoddam signum vel indicium, quo a reliquis discernatur diebus, isti diei tribuit: est fere idem quod *dies deliberationis* i. e. quo quis *deliberasse* vel *deliberare cogitatur.* Inde quid sibi velit nostra disputatio, per se apparet: alius est verborum significatus, quando Genitivus additur nomini Substantivo, cuius *proprietatem* aliquam exprimat; alius, ubi *simpliciter* ponitur, ita ut non tam ad *Substantivum*, a quo regatur, quam ad *Verbum*, quo id accuratius definiatur, pertineat; quod si est, uti infra videbimus, *caussa*, *gratia* et similia Genitivum adesse iubent. Attamen infitias ire nolim, apud complures scriptores latius hunc Genitivi usum patere, immo nonnullos tantum sibi licentiae non tam expostulasse quam ultro sumsisse, ut hoc in genere poëtas paene adaequarent: quo in numero Tacitum haud immerito referri, ipsa quae ex multis collegit Sanctius IV, 4. Tom. II. p. 49. edit. Bauer. testantur documenta. Est enim hoc inprimis posterioris aetatis scriptorum, ut rationem fere quamlibet, sive arctiorem sive latiorem, quae duas intercedat notiones vel voces, ita designent, ut quod *accidens* vocant doctores Logices, Genitivo casu significent; quo fit, ut a multis tanquam insolentia rei obstupefactis, *caussa aliqua media* desideretur, qua casum rectum cum obliquo iuste copulari

4) Miror Davisium in explicanda hac dictione, qua nihil apud Latinos usitatius est, aliena petiisse, neque in ratione vulgari constitisse. Quis enim dubitet, aequo iure dici *deliberandi* diem, quo quis *bellandi finem* usurpaverit, vel *orandi* et huius generis plura? B. G. I, 20. Et quum *dies* pars sit *temporis* omnino dicti, tempus vero suppeditet *facultatem*, quis est qui has notiones inter se cognatas agnoscere nolit? Unde fit ut omnia haec eandem sequantur legem, qua *facultas itineris faciundi* nititur. B. G. I, 7. extr.

5) Vid. Caes. B. G. I, 7. extr.

posse sibi persuadeant. Id quod infelicis cuiusdam operae habemus; nam quanta et quam multiplex apud nostrae gentis homines praepositionum vis est, tantam fere et tam variam apud Latinos prae ceteris Genitivo casui iniunctam esse, neminem fugit. Cfr. Ruddimann. Institutt. II. p. 78. N. 10. et quae suo more subtiliter et concinne de usu et natura Genitivi disseruit Zumpt. Sed redeamus ad propositum, et qui sensus verbis supra laudatis Gellii insit: *conservandae memoriae sepulcrum* — videamus. Qui alius esse potest, nisi ut habeatur monumentum, quo conservetur memoria? quemadmodum *coena celebrandae lucis annuae* nulla alia est nisi *coena, qua concelebretur* dies natalis. Atque etiam hisce exemplis comprobatur sententia nostra, ex qua huiusmodi Genitivos non tam ad Verbum, quod enunciatione contineatur, quam ad Substantivum nomen, cui appositi sint, complendae notionis caussa, referri debere statuimus.

Verum exempla modo prolata alia nonnulla iam excipiant, aliquanto diversa. Laudavit Oudendorp. ad nostrum locum praeter Aurelium Victorem de Vir. Illustr. ubi c. 2. quae *aquae hauriendae* descenderat — legitur, verba nostri scriptoris ex libr. IV. c. 17. naves deiiciendi operis — a barbaris missae. Praeterea B. C. I, 82. Illi *impediendae rei* legiones educunt. Neque desunt apud alios similis formae dictiones, de quibus infra pluribus agamus. Et primum quidem temeritatis culpam deprecamur, quum uno tantummodo excepto loco, reliquos voce *caussa* carere posse negamus. Est vero ille, quem integrum iudicamus, locus libr. IV, 17. *naves deiiciendi operis* missae. Quam quidem sententiam ut feramus, hisce potissimum rationibus impellimur. Animadvertisse enim videmur apud melioris notae scriptores, dummodo oratione pedestri usi sint, *Genitivum* illum *verbalem*, quo nomine Gerundivi casum alterum signaverim, nonnisi *rebus inanimatis* adiungi, vel vocabulis, quibus subest notio *actionis imperfectae*. Ita exempli gratia dicebantur *coena*, *dies*, *sepulcrum*, *pugna* et similia; atque ergo *naves* quoque dici possunt *operis deiiciendi*, quippe quae sint machinae sive instrumenta bellico usui destinata, veluti *arietes* et huius generis reliqua. Consentient vero mecum eius rei gnari, non bene neque commode a scriptoribus, quorum est plane et aperte loqui, qualem Caesarem compertum habemus, *legiones* vel omnino homines machinis atque instrumentis aequiparari, quibus

aliquid efficiatur, nisi consilium, quo quis spectet, vel cui inserviat, naturae eius sit consentaneum: id quod esse nobis persuasum est in isto ex Sallustii fragmentis Histor. I. p. 946. edit. Cort. a Sanctio adlato Tom. II. p. 49. edit. Bauer. exercitum *opprimendae libertatis* habet. Quam etiam dictionem Cortius, recti et aequi sagacissimus indagator, tantum abfuit, ut supplemento indigere censuerit, ut eam ad communem dicendi usum, passim obvium, prorsus congruere minime dubitaret. Cfr. Corte ad Iugurth. 88, 4. Adiuvat opinionem nostram, quod loco modo commemorato *trunci* una cum navibus coniuncti legantur, ita ut notionum *Attractio*, quam vocant, ibi cernatur. Sunt igitur *naves deiiciendi operis* eaedem, quae ab alio quodam dictae forent naves, quibus deiiciatur opus, atque hic, uti in superioribus locis, verbum *missae* simpliciter positum habendum est, neque adeo, quod sponte quisque videbit, ad auxiliares velut Ellipseon copias confugere decet, quas fere infamia adsperserit anxia et suspensa interpretum sedulitas. Quid? quod hac ipsa ratione sermoni Latino vindicare licet, qua vere eget, aliquam ubertatem atque abundantiam, certe copiam appellaveris. Etenim quum nominibus ex verbis compositis vel adauctis prorsus careat, quibus sermonem nostrum pariter ac graecum superfluere scimus, una aperitur via, qua quodammodo inopia sublevetur, ea nempe, quam indicavimus, ut Substantivo addamus Genitivum obiecti cum Gerundivo coniuncti; quo fit ut ex *genere* oriatur *species*, propterea quod iste Genitivus cum Gerundivo unam tantum notionem complectitur *attributi*, quo *peculiare quoddam* sive *proprietas* rei declaretur, velut si quis *diem deliberandi* interpretari velit *diem deliberativam*. At nemo, nisi hebes atque obtusus, negabit, aliud quid exprimere *deliberativam diem* similesque qualescunque Adiectivorum species, quibus quis describi posse opinetur notiones istas compositas, aliud *deliberandi diem* et huiusmodi formas. Est enim hoc proprium sermoni Latino, ut accurate rerum ac sensuum notiones distinguat subtiliterque discernat, neque facile a lege quam sibi scripserit perspicuitatis, severitatis, constantiae recedat.[6])

6) Occurrendum est hic errori, in quem persaepe incidere videmus recentioris aetatis homines, qui Lexico cuicunque Germanico-Latino temere obsequen-

Iam vero, quod attinet ad Terentianum illud Adelph. II, 4, 6. ne *id adsentandi* magis, quam quod habeam gratum, facere existimes — dubitaverit fere nonnullus, num hoc in loco supersederi queat auxiliari illo supplemento, voce scilicet etiam a Ruhnkenio hic adlata *caussa*, quum totius enunciationis natura sit *caussalis*. Verum, quum semel propugnare adortus sim pro sermonis simplicitate, eoque animo confirmatus sim, ut leves vocularum catervas, quae in medium quasi orationis agmen irrumpere tentant, propellere audeam, id quoque periculi subire paratus sum, ut locum angustiorem et impeditiorem ingrediar, sperans fore ut prospere me expediam. Conferri potest locus cum simili verborum ordine, passim a scriptoribus servato, velut Corneliii Alcib. IX, 3. quinquagena *talenta vectigalis* capiebat. vel: *quid sui sit consilii.* vel: *id consilii* animique, Liv. III, 62. apud quem eiusmodi verborum structurae complura invenies exempla. Quem quidem Genitivum non tam *partis*, vel *totius*, quam *generis*, id quod illi cognatum est, appellaverim. Significatur enim *species* vel *genus*, ad quod referri debeat id, quod obiter tantum et cursim vel simpliciter dictum plenam et perfectam notionem non exhibiturum foret; immo ne lectoris animus in omnia alia abeat verendum est. Contrahas ergo duo vocabula in unum, ut *id adsentandi* aequet Infinitivum modum *adsentari*, velut si quis dixerit: ne *eo adsentari* magis videar. Nam quum lingua Latina *articulo* quem vocant, careat, quumque ipsi non data sit, qua libere et commode utitur sermo Grae-

---

tes, vocabula nostrae linguae composita ad similem normam circumscribere non haesitant; velut, si quis vocem compositam *Grabscheit* explicare velit: *terrae effodiendae machina.* Falluntur nimirum, qui hanc verborum speciem sequuntur, eo quod accuratam ac paene acutam sermonis Latini diligentiam parvi aestiment, quae uti omnino, ita et hac in caussa conspicitur. Nostrates enim, dum dicunt *Grabscheit*, in universum machinam significant, nulla actionis instituendae vel patrandae ratione habita. At Latinis contra *machina terrae effodiendae* nonnisi est instrumentum *actionis imperfectae*, usui postero vel futuro destinatum; nostrae vero gentis homines utrum perfecta, an imperfecta cogitetur actio, dum vocabulis substantivis ex verbis deductis utuntur, nullam omnino agunt curam. Quam ob rem genus hoc dicendi Latinorum tempus modo futurum spectat, ideoque verbo opus est, quod negotio gerendo ansam praebeat, uti *naves — missae;* quo fit, ut animus, qui adhuc fuerit suspensus, resideat, sententia scilicet, quae ex parte manca esset et ambigua, completa et definita.

cus, vis et potestas quamlibet rationem et casum per Infinitivum articuli auxilio adsumto, describendi, quid est quod prohibeat, quominus in tali qualem hic reperimus dictione auctorem licentiam Graecorum imitatum esse credamus? Neque molestiam facesset, quod quis facile mecum agnoscet, quae huic enunciationi Zeugmatis species inest, quum ex nostra scilicet interpretatione *facere* ad posteriorem magis, quam ad priorem sententiae partem pertineat. Quin immo ita interpungas, quo expeditiora omnia evadant: ne id adsentandi magis, quam quod habeam gratum facere, existimes, i. e. ne adsentari potius me — existimes, vel, quod optime vulgari dicendi generi convenit, ne *id adsentationis* magis existimes; quasi si quis aequo iure dixerit: ne id potius *mei* quam *tui* consilii ducas. *Accusativum* enim *subiecti* centies omitti, neque disertis verbis indicari, quum ex orationis serie facile suppleri queat, innumera documenta adsunt. Conferendus super hac re Ramshorn. Grammat. §. 168. p. 433. ubi vir indolis atque ingenii Latinorum peritissimus de thesauro suo locupletissimo satis multa prodidit, quae caussam nostram adiuvent, testimonia.

Sed quamquam ne nimium iam multa verba fecisse videar, vereor, attamen ut Lectores benevoli totam rei rationem mecum habeant explicatam, summa disputationis eo velim redeat, ut omnium quidem primum statuamus voces istas *caussa*, *gratia*, *ergo*, *nomine*, *loco*, et quae sunt eiusdem significatus, a scriptoribus Latinis nusquam ita omissas esse, ut a lectore qualicunque tanquam ex latebris sint revocandae atque, ridiculum fere spectaculum, ut locum suum obtinere velint, invitandae. Quod si essent, facile ineptus quis haesitare posset, quemnam potissimum socium vel adiutorem sibi adsciscat, utrum *caussam* an *gratiam*, an etiam *locum* et sic porro. Absit a viris tantae dignitatis et gravitatis, quales reveremur veteres scriptores, infirmi et levis animi incusatio; abest nimirum a sana mente. Deinde ne grave vulnus hominibus doctis inferre existimemus, anxieque et timide, pudore scilicet subfusi et trepidi, pedem referamus, quum opiniones nonnullas Grammaticorum impugnare ac commenta convellere conscientia recti iubeamur. Neque enim inconsulte et intemperanter agimus, si quae hominum non arte, sed artificio, non doctrina, verum argutiis extra ordinem constituta sunt, in pristinum

restituere locum tentamus, suaque cuique vindicamus. Cuius quidem operis eo laetiores erunt proventus, quo constantius naturae presserimus vestigia; id quod et Ciceronem sensisse locus ille de Nat. Deor. II, 2. testis est. Porro quid statuendum sit de ratione, quam Sallustius secutus est, Catil. VI. extr. dicens: imperium *quod* initio *conservandae libertatis* atque *augendae reipublicae* fuerat — de eo consulas Cortium, qui uti in aliis, ita et hic quid rectum quidve pravum pro iudicii subtilitate distinxit; *describi* enim ait istis verbis *notionem Adiectivi;* cum quo consentit, si summam spectaveris, Bauer. ad Sanct. Minervam Tom. I. p. 201.[7]) Neque minus iudicio nostro opitulatur Hermanni, de notionum quadam confusione poëtis Graecis haud infrequenti suffragium ita ferentis auctoritas: „Quoniam adiectivum notat id, quod alicuius rei vel partem aliquam, vel aliam quamcunque notam contineat, non alienus est Genitivus in *commemoratione conditionis*, ab illa re, quae Genitivo casu nominatur, repetitae.“ Quare versum ex Sophoclis Electra 19. *μέλαινά τ᾽ ἄστρων ἐκλέλοιπεν εὐφρόνη* ita vertere iubet, ac si dictum foret: *εὐφρόνη ἀστερόεσσα.* Atque huius generis exempla plura reperies a clarissimo Vigeri Zeuniani restauratore congesta p. 890. et 891. edit. II.[8])

7) Ceterum immensi putamus operis exemplorum farraginem, quam passim congestam ac paene coacervatam offendimus, ita digerere ac secernere, ut suo quodque adscribatur loco; quo in genere Bauerum Sanctii Minervae vehementer laboranti, non tantum quantum desideretur medelae attulisse, dolemus. Ita, ne audacter dictum videatur, constructionem verbi *mirari* cum Genitivo casu, Obiectum scilicet denotante, (Virgil. Aen. XI, 126. *iustitiaene mirer belline laborum*) ellipticis dictionibus adnumerari aequo animo passus est. Cuique enim in oculos incurrit talis structurae cum Graecorum more adfinitas, de quo adeas Matth. Grammat. §. 348. 49. edit. II. Subtilius ex Grammaticae Latinae doctoribus in eam rem inquisivisse Ruddimannum documento sunt, quae leguntur Institutt. II. p. 119.

8) Inprimis laude dignus semper nobis visus est vir ille ingens literarum Graecarum et totius antiquitatis strenuissimus tutor atque defensor, quod quae fictionibus Grammaticorum essent detorta, explanaverit, novis atque inauditis additamentis cumulata atque gravata levaverit, viam multis temere exstructis munimentis praeseptam expediverit, omniaque Grammaticorum praecepta, nisi rationis sanae edictis consentanea reperta fuerint, abrogaranda censuerit. Ita etiam pro sua quasi bellica virtute, Ellipseon densam excidit silvam facilemque cuivis rei cognoscendae cupido iucundum patefecit prospectum. Exstat tantae

Quae quum ita sint, ne cui mirum videatur, quod istam Ellipsin, quam Caesar loco identidem laudato admisisse a nonnullis putatur, reiiciendam existimemus, tanquam naturae atque ingenio Latinorum contrariam ac repugnantem. Verum, quod summum est, luculentissima insunt huic locutioni indicia, quominus elliptico, quod opinati sunt, dicendi generi adnuamus. Primum vix sibi persuadere poterit, qui nostrum de vi ac potestate Genitivi iudicium secutus, verborum quae leguntur indolem penitius perspexerit, *milia armatorum*, quibus vocabulis Substantivum nomen contineatur, alterum quendam Genitivum requirere vel iuxta se pati, quum notio satis clare ac perspicue expressa sit, neque ullum fore reperiatur exemplum Gerundivi Adiectivo nomini appositi, secundo scilicet casu. Antecedat necesse est

---

eius virtutis egregium monumentum totus qui de Ellipsis natura et indole additus est locus ad Viger. p. 869. edit. II. Pro certo enim habemus, illud quod elliptici nomine appellare consuevimus dicendi genus ex brevitatis studio enatum esse, ita tamen ut ex antea dictis vel supra commemoratis facile compleri posse, quod de voluntate scriptor vel orator omiserit vocabulum, auctor ipse senserit. A quo praecepto si quem aberrasse videamus, vel negligentiae ac levitatis merito hunc accusandum censebimus, vel omnem enunciationem in proverbii usum abiisse statuendum est, velut γλαυκὰς εἰς Ἀθήνας; vel quod argenteae aetatis scriptoribus concedendum est, poëtarum morem agnoscemus, quibus id maxime sollemne est, ut arctiores sermonis Latini limites pro sua licentia transsiliant atque in libertatem se vindicent. Cuius vero dulcissimos fructus quum linguae Graecae imitatio ipsis polliceatur, mirum plane non est, quod isti rerum quippe novarum cupidi aliena tanquam sua amplectantur. Ex scriptoribus prosaicis Tacitum exempli caussa nominamus, cuius hoc in genere fere redundantiam coarguunt vel loci a Sanctio II. p. 49. ed. Bauer. reperti. Graecorum vero hoc primitus fuisse, aeque Latinorum, tum utriusque linguae comparatio, tum dicendi usus docet; de quo conferatur Matth. Grammat. mai. II. §. 540. p. 1061. edit. II. et Poppo ad Cyri disciplinam I, 3, 9. — Deinde etiam, si quid recte viderim, vocabulum per Ellipsin omissum, nunquam *rem in facto positam* s. rem gestam significat, sed notionem tantum *logicam* continet, ex toto orationis contextu vel perspicuam, vel certe elucescentem, velut Xenoph. Hier. I, 23. καὶ οὐ που οἴσθα ὅτι sc. τοῦτ' ἐστι, vel quod reliqua oratio suppeditat, προςδέονται κ. τ. λ. atque Luc. XII, 55. καὶ ὅταν νότον πνέοντα sc. ἴδητε — De istis vero commenticiis Ellipseus generibus, quibus tot Grammaticorum libri referti sunt, meris hercle hominum figmentis, quae nulla idonea caussa vel antecedente, vel subsequente suffulciantur, nemo adeo obsistet, quin incuriae cuidam ac socordiae originem debere putem.

Substantivum nomen, velut *dies*, *coena*, *sepulcrum* etc. Deinde etiam attendamus ad singularem huiusmodi dictionis cum Gerundivo nexum: is enim esse potest, uti iam supra adnotavimus, vel strictior, vel laxior. Ista, ut exemplo rem demonstrem, duo vocabula, *diem deliberandi*, arctissime cohaerent non solum ex Grammaticae legibus, quippe quae interdum usui sint obnoxiae, qui est tyrannus, verum quod multo potius est, ex rationis ac mentis sanae praeceptis. Quodsi vero quis *copias armatas* eduxerit, consilium quo id fecerit, multiplex est et pro loco ac tempore diversum, ideoque actio ipsa et caussa intervallo quasi sunt disiunctae. Inde colligimus, vocem *caussa* locum suum optimo iure tenere. At si rei conditio eiusmodi est, ut Substantivum nomen cum Genitivo Gerundivi in unam notionem concrescat ac paene coalescat, adeo ut eadem sit ratio ac Substantivi cum Adiectivo nomine coniuncti, tunc ubi in libros manuscriptos irrepserit vel a librariis intrusum fuerit vocabulum *caussa* ac simile quid, tanquam spurium et intempestivum repudietur. Praeterea, quod non levis aestimandum est documenti, scriptor, de quo agitur, admodum adamasse videtur vocem *caussa*, quum innumeris apud ipsum locis repetita legatur, ut paullo infra *incolendi caussa*, c. 9. *praedandi — caussa*; c. 11. *aquationis c.* cfr. c. 12. in. c. 13. fin. c. 16. c. 22. in. c. 30. extr. Atque hanc exemplorum copiam facile quis pro lubitu adaugebit; nos vero quum graviora supersint, plura congerere piget. Quidni enim censeamus, aequo iure in omnibus quos enumeravimus locis, vocabulum *caussa* omitti potuisse, si quod multis hominibus doctis placuit, eiusmodi ellipsin loco primum in iudicium vocato tueamur, codicum nonnullorum auctoritate decepti? Equidem hic Oudendorpio salvo officio, tanto homini debito, contradixerim, qui quum librarios e pronomine *suis* voci *finibus* in aliquot libris praeposito formam *caussa* finxisse putet, praeconceptae opinioni fere nimium dederit. Nam quis est, cui non longe probabilior videatur verborum *caussa ex* in pronomen *(suis)* nova commutata forma? praesertim si quis extremam syllabam caus*sae* a priore librarii manu disiunctam cogitet. Et quum in quibusdam codicibus scriptum legatur *bellandi ex caussa*, id quod factum credimus, quia cuiuscumque fuerint aures offenderint in repetita praepositione *ex*, quae quum eiusdem stirpis *verbo* esset adiuncta, rectius alium locum paullo distantem occupare visa sit. Verum

qui in aliquam modo cum Caesare venerint familiaritatem, talem praepositionum ubertatem Caesaris stilum non adspernatum esse bene noverunt. Ego contra demiror, quod nemo librariorum verba *ex finibus* redundare censuerit, quum pro nostra certe sentiendi ac loquendi ratione, utpote verbis *ex quibus* (pagis) praemissis, supervacua videantur; cui quidem sensui adstipulatus est interpres Graecus, locum ita reddens: *ἐξ ὧν (φυλῶν) ἑκάστης χιλίους ἄνδρας κατ' ἔτος ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξάγουσιν.* Coniecturam ergo facere licet, quae veritati quin proxime accedat, minime dubitamus, librarios quamvis non adeo eruditos homines, primis saltem saeculis, quum nondum exstiterit Glossatorum impudens caterva, religiosissime, quae legerentur auctorum verba servasse, neque a scriptis recessisse, nisi forte tum oculorum tum aurium errore seducti fuerint. Deinde, id quod Dorvillius ad Charit. p. 385. edit. Lips. et post eum Iacobius ad Toxarin p. 23. (cfr. Excurs. ad Caes. Commentar. de Bell. Gall. a me edit. p. 595.) pluribus demonstrare conatus est, a Caesaris oratione non absunt Tautologiae ita dictae species nonnullae et formae: quas tamen si intento contemplatus fueris animo, tanto tamque eximio scriptore haud indignas iudicaveris; habuit enim ubique locorum caussas satis idoneas ita dicendi, neque dum facundus esset et eloquens, loquacitatis vitium admisit. Huius rei testimonium sistit et hic quem tractamus locus; *ex finibus* enim educere idem valet atque *in alienas terras conterminas:* quam notionem ut adiiceret, tum perspicuitatis, cui prae ceteris studet, amor, tum quae sequitur contraria sententia, *domi* qui manserint, effecit.[9]) Sed haec obiter monuerim; unus est, in quo omnis disputatio vertitur, cardo, ut vocem *causa* quem indicavimus loco, non modo necessariam ac genuinam, sed nusquam eiiciendam neque repudiandam esse iudicemus, nisi si ratio inter *Substantivum* quod cognominant *regens* ac Genitivum intercedat talis, qualis Appositionis generi adscribatur; cui proximum est, ut notio insit Substantivo Genitivo praemisso *rei* vel *instrumenti*, neque *personae*; tertio, ut

9) Addamus aliud, quod neminem fugit, argumentum, ex notione *pagi* repetitum. Caesari nimirum *pagus* non tam est *regionis tractus*, quam civitatis alicuius *tribus*, incolarum certus aliquis numerus, suis finibus inclusus et a reliquis distinctus, ita ut unam quasi familiam constituat. Cfr. B. G. I, 12. 27. 37. IV, 22. VII, 64.

Substantivum nomen diserte atque aperte significatum sit, neque Adiectivum, aut Numerale, aut Pronomen aut simile quid illius vicem sustineat. — Quae quidem omnia, si viris, huius rei arbitris, aliqua vel plurima ex parte comprobata fuerint, haud frustraneam rei impeditae operam impendisse existimabo.

Iam vero, ne taedio adficiantur lectores, ad ulteriora procedamus, atque litis, quam lectionis varietas in verbis *incolendi caussa* moverit, dirimendae pro virili parte periculum faciamus. Fuerunt enim, atque in iis Davis. ad h. l. cuius partes sequitur *Heldius*, qui codicum complurium auctoritate permoti praeferrent *colendi*, diversam tamen vocabuli interpretationem promulgantes. Davisius enim locis maximam partem ex poëtis adsumtis ostendere studet, verbum simplex *(colere)* compositi obtinere notionem, id quod etiam aliis eiusdem generis vocibus ex parte saltem fieri certum est. Est vero serioris potissimum aetatis, verbum *colere* hoc significatu usurpare, cuius rei testes sunt complures loci tum Livii XXI, 26., 5. XLII, 67. extr. tum Taciti Germ. c. 16. in. *colunt* discreti ac diversi. Ann. II, 41. quaeque nationes usque ad Albim *colunt*. Sed quominus Caesari tale quid adiudicemus, quum reliquus dicendi usus, huic scriptori fere stabilis ac firmus, a quo eum pro lubitu discessisse incredibile dictu foret, tum propria loci, quem suspectum opinantur, natura impedit. Nam summus ille rerum bellicarum princeps et dux, non modo quando similes res ac sententias Commentariis prodit, in iisdem fere verbis ac dictionibus consistit, adeo ut omnes suae aetatis scriptores isto constantiae genere superet, sed quod Oudendorpius ad h. l. exemplis illustravit, in eo peculiaris quaedam Caesaris ratio conspicitur, quod notionem *incolendi* consulto distinxerit a cognatis notionibus *colendi* et *habitandi*; de quo discrimine mox dicturi sumus. At qui in verbo explicando a Davisio discrepat Heldius *agrum colendum* h. l. significari censet; neque eo sibi satisfecisse videtur, verum *incolere*, quum praecesserint verba *remanere uno in loco*, ieiune dictum atque frigere iudicat. Sed hanc nobis veniam det vir quem summi aestimamus, ut quae ad ipsius iudicium refellendum et quam dederit legem abrogandam in procinctu habeamus, libere atque ingenue proferre liceat. Ac primum quidem tantum abest, ut supervacuum existimemus verbum *incolere*, ut quum remanendi uno in loco multae et variae cogitari possint caussae, quam

in primis in mente habuerit auctor, diserto vocabulo enunciare debuisse contendamus. Atque hic idem est ille, quem superiore loco commemoravimus scriptoris nostri mos, ut in rebus, quae gerantur quaeve parentur, nullam omnino lectori, quid sibi potissimum voluerit, dubitationem relinquat; idque quomodo efficiatur multa eaque luculenta in quavis Commentariorum plagula prostant exempla.[10]) Deinde omnino negamus Caesarem verba facere voluisse de *agro colendo*, quippe qui iam antea plura hac de re disseruerit. Quid enim est illud, quod superiore loco legitur: Reliqui qui domi manserint, se atque illos *alunt*, nisi: vel agro exercendo, sementibusque faciundis ac reliqua circa rem frumentariam cura, ad victum necessaria cogunt. Et quod valentissimum sententiae nostrae habendum est argumentum, omnem rei expositionem absolvit ac disputationi veluti terminum constituit dicens: *sic neque agricultura* nec ratio belli intermittitur. Uti vero ab opere perfecto ad alterum, quod restat, transire solemus, ita ab una sententia enunciata ad alteram novam scilicet et diversam oratio progreditur. Sed quoniam agrorum culturae, quae apud Suevos non prorsus negligatur, mentionem fecerat, quatenus in hoc opere exercitando a ceteris populis diversam sequerentur consuetudinem, addendum erat. Quare ita pergit scriptor, ut omnem omnium communem agrorum possessionem apud eos fuisse enarret, neque singulis proprios addictos quos colant agellos, immo ne diutius quidem anno uno in loco consistere ipsis licitum fuisse. Constat igitur, nisi opinione deceptus fuerim, haecce enunciatio duabus partibus seu membris, quorum anterius agri colendi possessionem certam et cuique propriam, posterius domicilium ac sedem, vel habitationem spectat. Denique quam absona quamque turpis eiusdem sententiae iteratio haec foret: Ager quidem omnium communis est, ideoque communis omnium in eo colendo labor; neque vero ultra anni spatium in eodem loco commorari fas est *agri colendi caussa*. — Nam quot annos aliquis in

10) Velut B. G. VI, 13. extr. „Qui diligentius eam rem cognoscere volunt, plerumque illo *discendi caussa* proficiscuntur." c. 29. m. praesidium — *pontis tuendi caussa* ponit. (cfr. VII, 13. m.) VI, 13. ad hos magnus adolescentium numerus *disciplinae caussa* concurrit. Quos quidem locos, si quae literarum notis insignita et distincta scribere libuit verba, abessent, vel nulla omnino, certe leviore obscuritate laborare, nemo non sentit.

eiusdem agri cultura impenderit, hoc nihil ad rem; at ne fixam quidem ac stabilem hominibus fuisse sedem singulisque annis exactis eos in alium locum transmigrare ex instituto patrio debuisse, id quum magnam a reliquis gentibus proderet morum discrepantiam, nullo modo reticeri debuit. Apparet exinde, quam prope Suevorum vita accesserit ad Nomadicum genus; quod quum bene senserit auctor, porro exponit, quomodo id salva republica fieri potuerit: eos enim non tam frumento ait, quam *τοῖς ἐκ τῶν ἀγελῶν γιγνομένοις καρποῖς* vitam sustentare. Quae quum ita sint, ea quam legimus Caesaris de Suevorum vita narratio manca atque ex parte clauda iudicanda foret, si quae eorum fuerit habitandi atque considendi ratio peculiaris et propria, paucis describere praetermisisset, praesertim quum, etiamsi domicilia fixa habuerint, agrorum communio esse potuerit, universis scilicet pari operis faciundi officio obstrictis. Et quum quae nostro loco traduntur, iisdem fere verbis, certe si rem spectaveris, idem significantibus, libro VI. c. 22. de Germanis repetantur, quid est quod prohibeat, quominus in subsidium verba, quae ibi legantur, arcessamus, ita habentia: principes ac magistratus in annos singulos gentibus cognationibusque hominum, qui una coierint, quantum et quo loco visum est, agri adtribuunt, atque *anno post alio transire cogunt.* Cuius instituti praeter alias haec perhibetur caussa: ne accuratius ad frigora atque aestus vitandos *aedificent.* Videat, qui adhuc dubitaverit, num lectionis nostrae tuendae firmius aliquod praesidium advocari queat. Praeterea, atque hoc in universum dictum esto, nunquam adduci poterimus, ut *colere* atque *incolere* sine ulla notionum distinctione a scriptoribus diligentibus usurpatum credamus. Differunt inter se duo ista vocabula, neque paullulum modo, sed aliquanto. Nam *colere* quum antiquitus vim habuerit *transitivam* atque adeo casum Obiecti requirat Accusativum, quem ea ipsa de caussa vix unquam apud scriptores aurei saeculi, praeterquam poëtas, desideraveris, sponte sua quisque intelliget, quaenam huic voci etiam tum inhaereat notio, quum casus quem vocamus *Obiecti* a scriptore verbis expressus non sit. Manet nimirum notio ista primaria locumque suum obtinet, attamen ita, ut non tam actio ipsa agriculturae intelligatur, quam quae ex ea consequitur vitae sustentatio ipsaque in aliqua regione commoratio, quatenus agro colendo fructibusque exinde colligendis vel collectis tolerabilis fit.

Ponimus igitur, homines, qui tractum aliquem *colant*, laborare, in opere qualicunque esse, sive rem pecuariam curent, sive sementibus factis vitae necessitatibus provideant. Contra si quis populum trans Rhenum *incolere* dixerit, hunc certam sedem ac solum suum occupatum tenere fingit, intra definitos quibus circumdetur limites. *Habĭtare* denique, si Analogiam sequaris ducem, nihil est nisi crebro ac frequenter in aliquo loco versari, regionem aliquam possidere atque in ea huc illucve meare ac remeare. Ex quibus omnibus, quae verbis inesse ostendimus signis atque indiciis, ita concludimus: in verbo *colere* praevalere notionem operis ac laboris; *incolere* nos admonere *sedis fixae terminis limitatae;* formam frequentationis, qua notabile est vocabulum *habitare*, hominum inprimis societatem ac commercium ante oculos ac mentem ponere.

Sequitur tertium quoddam lectionis impedimentum, ex codicum atque librorum editorum dissensu lectori ulteriora petenti obiectum, in verbis c. 2. *parva* atque *deformia*, ubi alteram quam codd. ostentant lectionem, *prava*, praeferre nihil ambigo. Ac ne quis credat, nos lectionem ex solo contradicendi pruritu impugnare, quum quae *deformia* appellentur, eadem etiam *prava* habeantur necesse sit, contra *parva* ubique locorum a turpibus adspectu distinguantur, quae nobis ad manum sunt adiumenta atque praesidia ordine prodire iubemus. Itaque primum auctoritatibus agere liceat, atque exempla promere, quibus ab simili verborum ac notionum coniunctione optimos scriptores non abhorruisse demonstretur. Huius generis sunt, quae apud Ciceronem leguntur Orat. I, 34, 156. „Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam *deformitatem pravitatemque* veniamus.“ Addas quaeso alterum eiusdem auctoris dictum de Legg. I, 19, 51. „An corporis *pravitates*, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis, animi *deformitas* non habebit?“ Cui comparari potest Livianum illud IX, 30. *deformatum* ordinem *prava* lectione senatus. Atque haud absimlis, quamquam sublimiore sensu accipienda sit, verborum est ratio aqud Xenophontem Cyrop. I, 2, 3. *πονηροῦ τινος ἢ αἰσχροῦ ἔργου ἐφίεσθαι.* praesertim quum dudum ab editoribus, qui vocabulum *prava* sospitarent, provocatum sit ad alium apud eundem scriptorem locum obvium Cyrop. I, 4, 19. *πονηροί γε φαινόμενοι καὶ ἐπὶ πονηρῶν ἱππαρίων ἄγουσιν ἡμῶν τὰ χρήματα.* *Πονηρὸν* ergo *pravo*

Latinorum convenire, sive ad rerum ac corporum speciem externam, sive ad indolem atque ingenium (cfr. Sallust. Cat. V, 1.) transferatur, luce clarius est; pariterque *αἰσχρὸν* tum corpore, tum animo turpem s. deformem denotare, innumeri testificantur loci, ac vel maxime Cebet. Tab. IX. ubi *δυςειδὴς* commutatur cum *αἰσχρῷ*. Quae quum a nobis in universum sint disputata, porro videamus, quo altero eoque firmiore superstruatur fundamento sententia nostra. Scilicet aegre eo induci posse videmur, ut *parvitatem* sive corporis exiguitatem impedire putemus, quominus iumenta gravissimos labores tolerent; nam quae in tali negotio comprobantur roboris et patientiae dotes, eaedem etiam in parvulis esse possunt corporibus; cuius rei ipsi Romani si eorum corpora cum Gallis componere velis, sat multa ediderunt specimina luculenta. Cfr. Caes. B. G. II, 30. extr.[11]) Atqui illud ipsum tanquam singularem et mirabilem exercitationis proventum commemorat Caesar, quod ad summos labores sustinendos satis valuerint Suevorum iumenta. Neque tamen cum Vossio faciam, qui *pravum* etiam *ad usum ineptum* esse contendit; in eo enim modum ne excesserit, verendum est. Sed quum *pravus* proprie oppositus sit *recto*, quaenam vocabulo tribuenda sit notio, quum iumenta *prava* dicimus, non valde in obscuro est. Complectimur hac voce tum *staturae brevitatem*, tum quae aegre fertur in armentis, *maciem corporis*, *ad terram pronitatem*, quum equorum inprimis excelsa atque sublimi delectemur figura, atque ipsam naturae ferociam et intemperiem, qua fit, ut nonnisi multa et longa exercitatione mansuefiant usuique hominum accommodentur. At pedum et crurum tumorem, quum gracilitatem in laude habeamus, membra distorta, iubas promissas, villosam pellem, quum nitidis ac levibus pilis in deliciis habeantur equi, atque totius habitus foedam et indecoram faciem ad deformitatem referimus. Neque absumus ab iis, qui potius librariorum aliquem in voce *prava* offendisse existiment, quam in vocabulo tam trito tamque vulgari, quale est *parva*. Deinde, cur enim pudeat quae in omnium ore sunt retractare, dummodo ad rem faciant, quis est qui ignoret, voculam *atque* praecipue eo inservire, ut eiusdem significatus verba connectat? Cuius rei documenta singulis

---

11) Adsentitur nobis Livius in eo quod de Gallis iudicio tulit V, 44. gentem enim appellat, cui natura *corpora* animosque *magna* magis quam *firma* dederit.

locis confirmare inutilis est laboris, quum satis et abunde quae id demonstrent occurrant. 12) Verum in re tralaticia monendum aliquid superest, quod ut ne reticeam ipsa quam adhuc egi caussa, hortatur. Id nempe mihi perspexisse videor, particulam *atque*, ubicunque a scriptoribus, qui *copiam cum iudicio* sibi paraverint, adhibita sit, non modo *aequalia* vel *similia* consociare, ita ut pari dignitatis gradu collocata videantur, sed quae vi ac potestate praevaleat, eam primo loco positam esse vocem; significatione inferiorem, certe posteriorem altero. Quae quidem disserentes, ne in ambiguo sit de sententia nostra hominum doctorum arbitrium, id maxime contendimus, ut quam *posteriorem* appellavimus notionem, exemplis illustremus. Quare vix dici potest, quantum nobis arriserit hanc rem animo ponderantibus summi ac praestantissimi bene dicendi magistri, Quinctilianum dico, praeceptum, non solum nomina ipsa rerum cognosci debere, sed cui quodque loco sit aptissimum; 13) porro: curandum esse, ut non solum quomodo occurrant, sed etiam quomodo oportet, verbis utamur. Atque legi, quam sibimet dederunt clarissimi omnium aetatum ac gentium scriptores, Caesarem quoque obnoxium se sensisse, ipsius de Bello Gall. Commentarii, dummodo animum adverteris, declarant. Quare ne quis nullo discrimine facto et imprudenter ab auctore confusas ac permutatas censeat particulas copulae vicem sustinentes, quales sunt *atque ac*, *et*, *que*; quarum quae unicuique vindicanda sit peculiaris potestas, quum uberioris sit disquisitionis, alio loco et tempore Caesare duce enucleare conabimur. Id uno satis sit exemplo muniisse, particulam

---

12) En pauca ex multis, quae in procinctu sunt: Cic. Tusc. I, 27. *mixtum* atque *concretum*; — *natum* atque *fictum*; *natura* atque *vis* animi. Sallust. Cat. I, 4. *fluxa* atque *fragilis*. II, 3. *regum* atque *imperatorum*. et in cuius usu sibi fere nimium dat Livius, particulae *ac* eandem fere vim obtinentis significatum exhibent loci, quales leguntur Liv. VI, 23. 24. V, 2. 6. 10. 13. 21.

13) Verba sunt Quinctiliani Institutt. X, 1, 8. ubi nescio quibus caussis ductus Frotscherus lectionem, quam Codices summae auctoritatis Turicensis et Florentinus unanimo exhibent consensu, amplexus non sit, si quidem paene ex singulis literarum formis haecce constituatur lectio: sed quod *quoque loci* sit aptissimum. — Hanc vero lectionem vehementer commendari, tum communi scriptorum Latinorum usu (cfr. Ramshorn p. 197, 2.) tum singulari quam hic exprimere voluerit notione Quinctilianus, hoc loco adnotare, haud alienum a consilio iudicavi.

atque duabus quas tanquam vinculo colligaverit notionibus non parem significatus dignitatem impertire. Nam dum Caesar B. G. I, 32. *hospitium* atque *amicitiam* commemorat, vel gratiam *atque* amicitiam, c. 35. vel furorem *atque* amentiam, c. 40. vel pudorem *atque* officium, c. 40. extr. vel socios *atque* amicos, c. 43. nonne si viva voce loquentem fingimus, vocabulum priore loco collocatum cum acriore animi ac mentis intentione et maiore vocis elatione, ab orante pronunciatum credimus? Deinde quod *caussam* inter atque *effectum* intercedat discrimen, quin hoc idem, exemplo uti liceat, inter *gratiam* quoque atque *amicitiam* intersit, dubitemus? Nonne quem interiore amicitia dignum aestimes, eum antea gratum atque acceptum habuisse oportet? Et quem in *officio* manere dicimus, num eum *pudore* exutum ac prorsus destitutum cogitabimus? Quin immo pudorem esse, qui ad officia servanda impellat et incitet, experientia docemur. 14) Itaque etiam pro certo habemus, *deformitatem* non tam praecedere quam subsequi *pravitatem*; ex ista vero, quam opinati sunt corporis exiguitate vel staturae brevitate formae turpitudinem nullo modo coniici debere nec posse. Quare quae *tempore* cogitantur *priora*, quaeque in sensum animumve prius incurrunt, ea in orationis quoque vel minima parte, qualis est ista Synonymorum s. eiusdem fere significatus vocabulorum coniunctio, priore loco ponere fas est; contra quae aliquo ab antecedentibus intervallo sensu vel mente percipiantur, ea etiam in orando posteriorem locum occupent necesse est. Stet igitur sententia de lectionis integritate, et *prava* iumenta a Caesare dicta esse atque *deformia*, nobiscum qui adhuc aliter statuerint, hac nostra disputatione in nostras partes traductos, consensuros esse speramus.

Verum hic subsistendum est; modum enim nobis constitutum ne iam excessisse videamur, timemus. Quam ob caussam, et quod brevi ad finem res perduci non potest, quid de ista Oudendorpii coniectura c. 2. *importatitiis* iudicemus, quam ab Heldio et Kreyssigio tanquam bonam et genuinam Caesari redditam vidimus lectionem, a qua vero Daehnius auctoritati editoris Batavi diffisus, provide abstinuit, de eo alia dicendi copia facta, exponemus. Pauca igitur de nobismet ipsis

---

14) Cfr. Liv. II, 10. fin. *pudor* deinde commovit aciem. Cic. de Fin. II, 34. m. inest moderator cupiditatis *pudor*. — Atqui cupiditas est, quae multos ab officio colendo avertat atque deducat. Cfr. Tusc. II, 21.

disserendi veniam petimus, ut quae nostra intersint, quaeque nobis laeta ac fausta, ingentem cladem domesticam perpessis, contigerint, cum amicis atque fautoribus communicemus. Est enim grati in Deum hominesque sensus, ut quae interiore animi recessu aliquamdiu foverimus recondita et obtecta, prodire et palam fieri iubeamus, quum aptum venerit atque idoneum tempus. Venit, atque nos officio pietatis gratissimo satisfacere properamus. Et quum quod anno antea vix suspicari ausus sim, ut ad honorificum Professoris Eloquentiae in Gymnasio nostro munus eveherer, Divini Numinis prospicientia, Clementissimorum Principum Ruthenorum gratia, summorum Fautorum ac Patronorum acciderit benevolentia, ut nobis ac rei publicae nostrae saluti id factum sit, et quae in iuventute efformanda atque erudienda collocetur opera laeto et prospero ut ne unquam careat successu precamur. Nam ut pia pro civitate nostra vota nuncupemus, ipsa exacti temporis commonet iucunda recordatio. Stetit atque servata est in vehementissimis rerum publicarum tempestatibus civitas nostra salva et incolumis; floret vigetque etiam nunc egregium patriae decus et ornamentum Gymnasium, bonae mentis ac cuiusvis virtutis firmissimum praesidium, artium et literarum honestissima officina; cui ut laetiora in dies incrementa largiatur rerum humanarum supremus et sapientissimus moderator, Deus O. M. supplici ore precamur. Factum est, id quod intimo pietatis et amicitiae sensu palam profiteri fas est, divinitus, ut quem per tredecim habuerimus annos rerum nostrarum strenuum atque indefessum administrum, laborum socium fidelem ac constantem, eum iam scholae atque ecclesiae praefectum ac praesidem publice constitutum colere et observare liceat. Faxit Deus, ut quod tam faustis tamque laetis ominibus susceperit munus, ipsi feliciter procedat, atque eius tutela et dulci praesidio, si qua usquam in republica nostra labantur, ad meliorem, immo ad optimum statum adducantur. Et quum haec nobis a maioribus tradita sit consuetudo, ut annuo studiorum curriculo transacto, novi principium tum nobis et qui nobiscum in eodem opere versantur Collegis et amicis, tum Reipublicae Praesidibus, atque omnibus omnino, qui nostris rebus faveant annuantve, qua decet verecundia, congratulemur, restat, ut Sollemnia in Illustri Rutheneo crastino die hora XI. matutina concelebranda, grati nimirum ac memoris in Deum animi documenta, publicis hisce literis indica-

mus. Quae ut frequentia Vestra condecorare velitis, Vos Inspectores Gymnasii summe reverendi, civitatis nostrae Proceres, omniumque ordinum literarum bonarum artiumque amatores, observantissime invitatos habeatis.

Sollemnium vero nostrorum hic erit ordo, ut primo loco prodeat iuvenis bonae spei et indolis, quem nunquam avitae gloriae et laudis immemorem fore speramus

Feodorus Platner, verba facturus *de ludorum scenicorum in mores spectatorum vi et efficacia.*

Eum excipiet Franciscus Hirt, cui ipsa studiorum nostrorum ratio hanc potissimum provinciam dedit, ut *laudes Titi Livii* sermone Latino praedicet.

Sequetur tertius Richardus Liebich, carmine Germanico *primordia rerum atque auream primorum hominum aetatem*, Ovidio duce, descripturus.

Claudet agmen Gustavus Weber, oratione vernacula expositurus, quid sit, *publica institutione usum esse.*

His itaque iuvenibus, nobis admodum tum moribus tum ingenio comprobatis, omnibus quidem ex nostra civitate oriundis, ut praesentia Vestra aliquod in optimis literis collocatae operae dare praemium, atque ea qua soletis indulgentia ad altiora petenda ipsos excitare velitis, enixe rogamus.

Scr. Gerae, Kal. Ianuar. MDCCCXXVIII.

